RECTOR

ET

TOTUS ACADEMIÆ GISSENÆ SENATUS

Omnibus omnium Facultatum Studioſis S. P. P.

DIvinâ benignitate freti, iterum proponimus, in ſubjectâ Tabellâ, deſignationem eorum, quæ ſemeſtri proximo hyberno, quisq; noſtrûm, tam publicè quàm privatim eſt tractaturus. Imitamur Mercatores, qui non rarò merces ſuas per Præconem notitiæ publicæ exponunt, ut quibus opus eſt emere, in tempore poſſint. Vos Studioſi lectiſſimi, itidem Mercatores imitamini: Illi opes acquirendi ſtudio, terrâ mariq; proficiſcuntur, extremos currunt ad Indos, oculis Europam luſtrant univerſam, & per commercia notitiam habent Aſiæ & Africæ totius. Non quidem ita vobis deſudandum; non tanta pericula adeunda: Merces habetis præ foribus, nullâ impensâ, ſed ſolâ induſtriâ parandas, modò occaſionem, quæ fronte capillata eſt, arripiatis. Ad Academiam, tanquam ad Mercaturam quilibet veſtrûm miſſus eſt, inanem redire turpiſſimum foret. Athenienſes, ſi quem maxima ignominia volebant afficere, eum nunquam Academiam Philoſophorum diſcendi gratia adiiſſe dicebant, & hoc ipſo ruditatis notabant: ne patiamini eadem de vobis dici, quod Auditoria Profeſſorum diſcendi gratia non adeatis, illaq; vacua relinquatis. Cogitate, nil quicquam Doctoris vel Profeſſoris induſtriam potentiùs excitare, quàm ſtudium atq; diligentiam Audientis; neq; committite, ut cum omnia ſuppeditentur à nobis, voſmet ipſi vobis defuiſſe videamini. Inprimis vos Juniores cavete, ne inani perſuaſione turgentes, & ſtudia Philoſophica aſpernantes, immani ſaltu ex trivialis pulveris anguſtiis, ad ſuperiores, quas vocant Facultates proruatis, vix à limine ſalutatis inferioribus, id quod cum damno maximo conjunctum, Prudentiſſimi quiq; ſemper judicarunt. Cæterùm DEUM *immortalem ſupplices veneramur, ut tranquilla pacataq; nobis tempora conſervet, ut labores noſtros proſpero ſucceſſu fortunet. Sit Academia noſtra ædes concordiæ, ſchola modeſtiæ, officina virtutum & pietatis, nec noſtris ſolùm, ſed & Patriæ & poſteritatis uſibus. Hoc toto animo petimus; hoc anxiè à Gratia Trin-Unius* DEI *expectamus. P. P. Dominica XV. poſt Trinitatis, anno M. DC. LI.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Juſtus Feurbornius, SS. Theologiæ D. ejusdémq; Profeſſor. 1. Abſolutâ decem priorū capitum Actorum Apoſtolicorū Interpretatione, exegeſin ſequentium capitum inchoabit, &, quantū poſſibile fuerit, in iis expediet. 2. Finito Collegio Anti-Papiſtico, Collegium ſuper Epiſtolam ad Romanos, Lectorium, Explicatoriū & Diſputatoriū privatim inſtituet. 3. Aliquot Diſputationes publicas proponet.

Petrus Haberkorn/ S. Theol. D. & Prof. Ordin. per Dei gratiam [illegible] Collegiis privatis, uno diſputatorio, altero concionatorio, ad finem perductis, [illegible] hyeme, Deo dante, in publico Theologico Auditorio, lectiones Theologicas quoad reſiduos in Exegeſi noſtrâ Fidei Articulos perſpicuè explicandos, habebit, quin & domi Collegium lectorium, in quo Exegeſin Menzerianam dilucidè & quidem quatuor cujuslibet ſeptimanæ diebus explicabit, aperiet, Collegiumq; concionatorium continuabit.

D. Balthaſar Mentzerus, S. Theol. & Hebr. Linguæ Profeſſor & Stipendiariorum Ephorus, publicè enarrabit Hiſtoriam & Controverſias quatuor Conciliorum Oecumenicorum. Privatim explicabit Epitomen Libri Concordiæ, quæ materiam quoq; præbebit Exercitii diſputatorii, ſingulis ſeptimanis inſtituendi. Aperiet etiam Collegia privata Hebraica & Syro-Chaldaica pro captu & voluntate Auditorum; Inq; gratiam provectiorum publicè interpretabitur librum quendam Propheticum.

IN FACULTATE JURIDICA.

Juſtus Sinold, dictus Schütz/ U. J. D. Cancellarius & Profeſſor primarius, Lectiones ſuas publicas pro qualitate Auditorum, de utiliſſimis Conſtitutionum Imperialium materiis inſtituet, nec non ſingulis ſeptimanis publicè diſputabit.

Gregorius Tülſnerus, U. J. D. Conſiliarius, & Pandectarum Profeſſor Ordinarius, p. t. Rector, quantum per negotia publica fieri poterit, in explicandis, prioris partis Digeſtorum, Legibus inſignioribus perget; privatim etiam Studioſorum petitioni ſe accommodabit.

Jacobus LeBleu, J. U. D. & Profeſſor Extraord. publicè cōtinuabit prælectiones Inſtitutionū, incipiendo à materiâ teſtamentorū usq; ad ſedē de obligationibus. Privatim quoq; exercitationes juris tum explicatorias, tū diſputatorias pro lubitu Dnn. Studioſorū inſtituet.

Martinus Müller, U. J. D. ejusdemq; Profeſſor Extraordinarius, certas in materia Obligationum & Actionum publicè proponet Concluſiones, illasq; explicabit. In gratiam etiam Studioſæ Juventutis brevem & methodicam manuductionem ad Lectionem Inſtitutionum in lucem edet, & privatim in Collegio exponet & diſputabit; Collegia ſua privata Pandectarum continuaturus, & in quantum valet, alia ad petitum Dominorum Studioſorum lubens & fideliter in ſe ſuſcepturus.

IN FACULTATE MEDICA.

Johan. Daniel Horſtius, Medicinæ D. Profeſſor & Archiater, ubi per negotia Aulica licuerit, Collegium inſtituet, in qua Chemiam, quâ poterit brevitate pertractabit, exponetq; modum Salia, Spiritus, Olea & Magiſteria ſelectiſſima parandi.

Johannes Tackius, Phil. & Med. D. Medicinæ & Phyſicæ Profeſſor Ordinarius, Sereniſſimiq; Principis ac Domini, Dn. LUDOVICI *Haſſiæ Landgravii &c. Medicus*, in Phyſicis quidem partem ſpecialem publicè leget, eámq; quæſtionibus ſcitu neceſſariis illuſtrabit: In Medicinâ verò Pathologiam tractabit, atq; modum ſimul & methodum tractandi & curandi morbos Hermeticè & Dogmaticè monſtrabit; Collegia etiam privata aperiet: diſputationesq; pro Studioſorum lubitu habebit.

Chriſtianus Brucke, Hamb. Med. D. & P. P. Ordinarius, Sereniſſimi Principis & Domini, Dn. GEORGII, *Haſſiæ Landgravii &c. Medicus*, publicis lectionibus de præſidiis illis, quæ interni præcipuè affectus ad ſanguinem aliosve humores vel ſenſibiliter vel inſenſibiliter evacuandos ex Chirurgiâ deſiderant, aget: quibus finitis remedia ex Pharmaciâ deſumpta pertractabit, initium facturus à medicamentis purgantibus. Privatam illius operam ſi Studioſi Medicinæ expectant, anatomiam methodo Syntheticâ pertractaturus de triplici vaſorum genere, Venis, arteriis & nervis aget, quod in anatomiâ corporis humani methodo analyticâ in theatro, ſi quod manibus ejus cadaver ſe ſubjecerit, adminiſtrandâ non ita exactè præſtari ſolet, nec habita cadaveris & temporis ratione poteſt.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

Caſpar Ebelius, Philoſ. M. Profeſſor Philoſ. primæ & organicæ Ord. & Pædagogiarcha, verum & accuratum diſputatorem, publicis lectionibus, ad finem perducet & Collegia Logica & Metaphyſica, privata & publica, bono cum Deo, continuabit, nec in aliis, officium ſuum concernentibus, Studioſorum verè talium, deſiderius deerit.

M. Jo. Conradus Dietericus, Hiſtor. & Græcæ L. P. ex Hiſtoricorum ſpatiis amplis, quæ ad quatuor Monarchias ſpectant, tractabit, & in græca literatura animadverſiones neceſſarias inſtituet.

Jacobus LeBleu, J. U. D. Politicæ Profeſſor publicus & Acad. Syndicus, publicè materias de conſervatione Majeſtatis terminabit, & cætera præcepta, Deo dante, ad finem perducet, ſimulq; diſputationibus publicis *futurum Conſiliarium* exhibebit, quibus adnexa erunt præcipua civilis prudentiæ fundamenta.

Privatim quoq; Collegia rum explicatoria tū diſputatoria aperiet.

M. David Chriſtiani Pomer. Mathemat. Prof. Ord. publicè *Aſtronomiam*, Muſarum Mathematicarum præcelſiſſimam & humanis uſibus accommodatiſſimam, tradet. Adjunget Appendicis loco Doctrinam de *adſcititiis cœli Phœnomenis, Stellis ſcilicet novis & Cometis*, qui à condito mundo ad hæc uſque tempora, ſive in aëre, ſive potiùs cœleſti Theatro, partim Criterio ſive ſenſû oculari & hiſtoria, partim beneficio Geometriæ & Arithmeticæ, utpote ratiocinatione altiori, conſpecti ſunt. Privatim Collegia *Arithmetica, Geometrica, Aſtronomica, Geographica, Aſtrologica, Optica & Fortificatoria*, ad votum & captum Studioſorum, inſtituet.

Martinus Müller U. J. D. & Philoſophiæ Moralis Profeſſor Ordinarius, publicè in lectionibus illam methodicè per certa tradet præcepta & privatim quæſtiones in Collegio diſputabit ſingulares.

Johan. Helvicus Sinold, cogn. Schütz, J. U. L. Oratoriæ Profeſſor Ordinarius, publicè commentabitur in Ariſtotelis Rhetoricam, privatim lectiones inſtituet ad deſideria Dnn. Studioſorum.

M. Johannes Scheiblerus, Hiſtoriarum Sacrarum & Eccleſiaſticarum P. P. Extraordinarius, Hiſtoriam Sacram & Eccleſiaſticam N. Teſtamenti prælegendo & diſputando publicè continuabit, & providebit, ut σὺν θεῷ, primam illius Hiſtoriæ partem, quæ erit de Præcurſore Johanne, Chriſto, ejusq; Matre & Apoſtolis, ad finem, hoc ſemeſtri, perducat. Privatim autem, in gratiam Dnn. Studioſorū, ea qua fieri poterit brevitate atq; perſpicuitate, Scriptores Sacros atq; Eccleſiaſticos V. ac N. Teſtamenti, eorundem vitam, mortem, laudes, errata & ſcripta, genuina à ſuppoſititiis ſecernendo, exponet.

GISSÆ, *Typis* JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, *Academiæ Typographi*, *Anno M. DC. LI.*